

quam collectam exigere ab eisdem, non obstantibus literis nostris, si quae contra tenorem Priuilegiorum eorundem, seu contra formam libertatis Ecclesiae emanassent, vel deinceps quomodolibet contingerit emanare, cum praedictam Ecclesiam, sicut praemisimus, ob reuerentiam sanctorum praedecessorum nostrorum, Stephani et Ladislai Regum Hungariae, nec non propter approbatam fidelitatem Venerabilis Patris Timothaei, eiusdem Ecclesiae Episcopi, dictam Ecclesiam, Populos, et Iura eius velimus et intendamus manutenere, et conseruare in eorum consuetis et antiquis libertatibus inconcusse. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem praesentes dedimus literas dupplicis Sigilli Nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Benedicti S^{ae} Strigoniensis Ecclesiae Electi, ejusdemque Loci Comitis perpetui, Aulae Nostrae Vice-Cancellarii & Praepositi Budensis, Dilecti & Fidelis Nostri. Anno Domini Millesimo Ducesimo septuagesimo quarto, pridie Calendas Junij Indictione secunda, Regni autem nostri secundo. Venerabilis Patribus Stephano Colocensi et Joanne Spalatensi Archiepiscopis, Lamberto Agriensi, Briccio Csanadiensi, Job Quinque-Ecclesiensi, Philippo Vaciensi, Aulae Dominae Reginae, Consortis Nostrae, Cancellario, Timothaeo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transylvano Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Dyonisio Palatino, Comite de Oklich & Judice Cumanorum. Nicolao Judice Curiae Nostrae, Comite de Guecke. Henrico Bano totius Sclavoniae, Nicolao voyvoda Transylvano et Comite de Zonuk, Paulo Bano de Seuerino, Joachymo Magistro Tauernicorum Comite de Plyss, Reinoldo Magistro Dapiferorum Comite Zulgageriensi (?), Nicolao Magistro Pincernarum, Herbordo Magistro Agazonum nostrorum, Comite Barana. Moys Magistro Tauernicorum Dominae Reginae, Consortis nostrae charissimae, Comite Simighiensi; Joanne Comite Soproniensi, Gregorio Comite Castriferrei, Dedalo Comite Zaladiensi, Jacobo Comite Nitriensi, et aliis quam pluribus Comitatus Regni tenentibus et honores.

Ex transsumpto litterarum originalium, in Archivio Capituli Zagrabiensis asservaturum.

LXVIII.

Anno 1275.

Elisabetha Regina nobiles Comitatus Verevče, ultra fluvium Dravum seu in Hungaria in jus vocari non posse statuit.

Elisabeth, dei gracia Regina Hungarie, vniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersitatis vestre noticiam harum serie volumus pervenire. Quod cum dominus Ladislaus rex et dux Andreas, frater eiusdem, karissimi filij no-